

1519

C O D I C E S

1520

## CCCCIX.

- 897 Codex membraneus lat. Sec. XV. Folior. 78. 4. in *Bobemia*, ut videtur, exaratus inscribitur a paullo recentiore manu: *Decalogus Jo: Wiclef*, rectius apud *Baleum: De Mandatis Divinis*; ad Decalogum enim in particulari primo descenditur fol. 47. p. 2. unde alia manus fronti bene adjecit: *De quiditate Juris et Justicia in genere*. Initium est: *Premissa sententia de dominio in communi ac speculatiua de spiritu qui est homo &c.* Abrumpitur jam in *Praecepto III. et Capite de loco, tempore et forma orandi*, his verbis: *habentes mentes in foro et corpus in cho — — ro.*

## CCCCX.

- 886 Codex partim chartaceus, partim membraneus lat. Sec. XV. Folior. 343. f. per duas columnas non una manu exaratus, rubricisque distinctus continet *Joh. Wiclefi Libros III. de Dominio Divino*, quorum I. praemissum habet *Regeftum*, et incipit: *Cum quilibet christianus et specialiter Theologus &c.* Ut alias. *Libros* hos III. praeponi debere *Summae Theologicae Wiclefi* dicitur in *Bibliographia*, de qua memini *Cod. CCCXCI.* quaeque hoc ipso *Codice* infra fol. 223. recurret. Liber II. in hoc *Exemplo* sine mutilus est.

II. fol. 49. Ejusdem de *Apostasia*. Est hic Liber juxta mox cit. *Bibliographiam Summae Theol.*

undecimus; incipit vero: *Restat ulterius ponere aliud principium pro ambitu heresis symoniace &c.* Istud initium *Baleus* non adtulit. Ad calcem nobis legitur: *Explicit Tractatus de Apostasia Magistri Johannis Wiclef doctoris evangelici.*

III. fol. 129. Ejusdem de *Blasfemia*. Seu *Summae Theol.* Liber duodecimus. Incipit: *Restat succincte de blasfemia pertractandum &c.* Ut alibi. Adhaeret *Bibliographia* mox cit. cui subscriptum: 1453. *assumptionis.*

IV. fol. 225. Ejusdem de *statu innocencie*, qui est *Summae Theol.* Liber secundus. Incipit: *Ut supradicta* (scilicet L. I.) *magis appareant, oportet parumper disgrede &c.* Ut alibi.

V. fol. 237. Ejusdem de *Trinitate*. Incipit: *Supereft investigare de distinctione et convenientia personarum &c.* Ut alibi.

VI. fol. 273. Incipiunt *propositiones et Articuli Reuerendissimi in christo patris Richardi primatis ybernye — contra ordines mendicantes &c.* Et hec predicavit coram domino papa In consistorio et Cardinalibus ac prelatibus (inferius additur apud *Auinionem*) anno domini M<sup>o</sup>. CCC. LVII. die VIII. mensis nouembris. Pluribus agitur *Cod. DXLVII.* de hoc *Sermone*, cujus Thema: *Nolite iudicare secundum faciem &c.* Joh. 7. initium autem: *Pater sanctissime in principio mei sermonis protestor, quod non intendo aliquid asserere &c.*

VII.

1521

P O L E M I C I.

1522

VII. fol. 291. *Sermo Richardi Archiepiscopi sancti pauli londonensis. tertia dominica XL<sup>e</sup> anno domini M<sup>o</sup>. CCC. LVI. et consecrationis ejusdem Archiepiscopi anno quarto.* Ineptit Librarius. Dicendum erat: *Archiepiscopi Armachani, et: apud crucem Ecclesiae S. Pauli Londoniensis.* Ita enim et *Codex* mox cit. et *Editio* IV. *Sermonum Richardi Paris. f. a. f.* quae tamen etiam in consecrationis anno peccat, ut jam ibidem monui. Est vero Sermo in illud: *Nemo vos seducat inanibus verbis. ad ephes. VI. ca<sup>o</sup>. et in epistola buius dominice oculi.* Et incipit: *Hodie in XV. dies non solum orationes. petitiones. postulationes et gratiarum actiones fieri &c.* ut in edit. mox indicata.

VIII. fol. 309. *Petri Payne Anglici Defensio Articulorum Wiclefi contra Job. Przibram,* quae incipit: *Quia nuper in regno Boemie inclitissimo vnus eiusdem regni filius &c.* et redibit *Cod. DLXV.* Verum hic praemissam habet Protestationem, cujus initium est: *Omnipotentis dei magnificentia operis buius exordium protegat, medium dirigat &c.* Profitetur *Petrus*, se nihil asserturum diffonum fidei orthodoxae, neminem abducturum a vera fide sacramenti Eucharistiae, futurumque sub correctione sanctae matris ecclesiae, et omnium, quibus incumbit ex officio ipsum corrigere &c. Sed est, qui nequiter humiliat se. *Eccl. 19. 23.*

IX. fol. 340. p. 2. *Epistola Catholici ad Wiclefi Adfeclam,*

quae incipit: *Quia ex doctrina beati Augustini didici — Quod sic diligendi sint homines ut eorum non diligentur errores, quia aliud est amare, quod facti sunt, aliud odisse quod faciunt, Te ergo, quem in christo ut filium carissimum consueui diligere &c.* Ex his et aliis videtur Superior quidam religiosus ad Subditum scribere, de quo tamen post paullo: *Sed quia ab ecclesia propter inobedientiam gladio excommunicationis maiorum (majoris?) cum tuis complicibus abscissus es &c.* Maxime urget, audiendam esse Ecclesiam, quam circa Fidei decreta infallibilem esse oporteat. Conclusio Epistolae deesse videtur.

X. fol. 341. p. 2. *Responsum violentum ad praecedentem Epistolam, quod incipit: Salus excellencior, quam meruisti Amice, quamuis prima fronte tuo scripto mihi oblato manifeste nec non absque omni rubore erroneum asseras &c.* Multa dein cavillatus de dilectione in Christo et propter Christum singula alterius dicta refellere conatur Anonymus, Ecclesiam non esse nisi Universitatem Praedestinatorum e mente *Wiclefi* inculcans. Tempus scriptionis e sequentibus liquet: *Si per partem uestram probantem Magistrum Johannem Przybram cum suis intelligas consocijs, et per aliam partem nostram M. petrum Anglicum cum sibi adherentibus, tunc absque fallo uel deceptus es, uel peccato tuo exigente vis falso credere, et discedere veritati. Quia scias quod diligenter scrutando edoctus*

1523

C O D I C E S

1524

edoctus sum relatu fide dignorum, quod nec unum errorem probare potuit przibram super Anglico, et si ego mentiri vellem, auditorium totum scit, in quo defecit, quia actus inchoatus per prefatos Magistros perfectum non suscepit complementum. Atqui Przibramius cum Paynio congressus est a. 1427. et 1429.

Codici Membrana eleganter exarata, sed mutila subtexta est, sistens Tabulas Indulgentiarum collatarum bene facientibus Ecclesiae S. Galli abbatis in Ciuitate Pragensi a quibusdam Episcopis, quorum adhuc legi possunt: Adenulphus Consanus Archiep. Nicolaus Tortibulens. Jacobus Calcedoniens. Angelus Fesulan. et Bonifacius Parentin. Epp. Adscriptus est Bonifacii Pape octauui Anus sextus, et infra ejus Ratihabitio: — — nostra ordinaria qua fungimur confirmamus XL. Dies hujusmodi remissionis et gracie — — appensione muniti. Sub Anno Domini Millesimo. CCC. primo. ij. Idus Julij Pont. nostri anno Sexto.

CCCCXI.

934 Codex chartaceus lat. boh. Sec. XV. Folior. 175. 4. non una manu exaratus, constat sequentibus: I. Indice alphabetico in Decretum Gratiani, qui ad calcem scriptus dicitur et finitus: in decollatione Sancti Johannis Baptiste, hora quasi XXII. in Basilea. Anno M<sup>o</sup> CCCC<sup>o</sup> XXIII.

II. fol. 24. Indice Locorum S. Scripturae, quales habemus ad calcem Operum SS. PP. Hic vero idem labor impensus est a solerti Discipulo Operibus Job. Wiclefi, ut Doctor hic, quem sui Evangelicum dixere, nulla re priscis illis Ecclesiae Doctoribus inferior discederet; nam et Opera ejus Summariis, Notisque diligenter instructa, et textos eorundem Catalogos plus vice simplici vidimus, qua in re Bobemos prae ipsis ejus Popularibus elaborasse arbitror.

III. fol. 109. sequitur absque titulo Ejusdem Pastorale. Initium: Cum duplex debet esse officium christiani &c. Ut alias. In praesenti desunt extrema.

IV. fol. 133. absque titulo Ejusdem Speculum seclarium Dominorum. Initium: Cum veritas fidei eo plus rutilat &c. Ut alias. Hic vero mancum.

V. fol. 139. p. 2. item absque titulo Ejusdem de Sex Jugis. Initium: Ut simplices Sacerdotes zelo animarum succensi &c. Ut alias.

VI. fol. 145. absque titulo Defensio IV. Articulorum, quos a. 1421. Pragenses e mente Wiclefi et Hussi publicarunt, quae prostant in Cochlaei Hist. Hussit. L. V. p. 199. et a nobis non semel allati sunt. Incipit haec Defensio: Quia fideles ut supponitur christiani inhabitantes regnum Boemie conceperunt, qualiter propter peccata superiorum et specialiter sacerdotum multa mala in christianismo